



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Alto Abbas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

S. ALTO ABBAS.



Alto Caledonia genus haud ignobile terre,
 Atq. laetam Boy gloria rara soli:
 Cui pulsata pede sitiendi praebuit undam,
 Et fluxit largo flumine dura silex:

Templa locas Divis, cum Divis ipse locatus,
 Implendusq. astris Castra beata paras.
 Casta veni pubes custoditura pudorem,
 Alto pudicitiae praeses, asylon erit.

M

S. ALTO

DE A. N. OTTONI M. A. S. T. A. T. I. C. A.

2. ALTO ARBAS



OTTO M

S. A L T O

A B B A S.



N Scotiâ natus, in Boicâ denatus est Alto, & suo, quod condiderat Cœnobio, illustri sanè tumulo humatus. Iussus est, vt Cœnobij Altonis monumenta narrant, cœlesti voce ad exemplum Abrahami Patriarchæ, deserto patriæ solo Boicam (ita cordi fuere Nummini semper Boij) petere; vbi siluam ingressus, pari serè interuallo Augustâ Vindelicorum, & Monachio distantem, propiorem tamen Augustæ, & ad sinistram Monachium petentem sitam. cui Pipinus Rex Francorum, Boicæ tum illi imperans, illum siluæ tractum, viri sancti famâ permotus, donauit: quem Alto, succisis extirpatisque arboribus, ad hominum cultum redegit, ibique sibi aliisque domicilia posuit, & vicinorum adjunctus liberalitate, qui vitæ illius sanctitatem admirati, certatim dona, votaque ad Altonem ferebant. De Monasterio jam moliendo cogitabat. quod tandem perfectum S. Bonifacius cœlesti imperio vocatus, & tum in Boicâ rem Christianam vehementer vrgens, festâ ceremoniâ initiauit. Conditor primus Etico fertur, Comes Licatorum, (ex quo natus Henricus) qui viros illic religiosos collocauit, sed tempore, quod omnia consumit, & dynastarum rapinis afflictum, propè totum interiit; quoad jam propè perditum, Guelfo Bojorum princeps (qui genus cum suis non, vt multi sentiunt & scribunt, ab Trojanis, vel Romanis, sed, vt M. Velferus ostendit, ex Bois ipsis & his Agilolfingis trahit) instaurauit, & S. Benedicti coloniam in idem deduxit. Sed anno Christi quadringentesimo octoagesimo septimo supra millesimum Georgius princeps Bojorum, rursus vetustate collapsum, in pristinum splendorem restituit, & è S. Brigittæ seuerâ disciplinâ Virgines in eo sacras posuit, quod hodièque maximè floret. Colitur S. Altonis memoria anniuersaria publicaque liturgia, v. Idus Februarij, quam ex ipso Cœnobio cum quibusdam miraculis, à morte Altonis factis perscriptam & signatam accepi.

1502. v.
En Alton
Citat. mod
numentis
canobij
Altonij
ser.
Auent. p. 4.
291. Hun-
dum Me-
trop. Vel-
seru lib. 5.
pag. 291.

V. B. C. A.
v. B. C. A.
10.

M 2

B. ALBER.